

Zi
5200





an 7e 5200. Q.K. [Ti: 1377]

POSITIONES
DISPUTATIONIS XX.

De

CRUCE ET
CALAMITATIBVS
ECCLESIAE ET
CONSOLATIONE

Quas

Christo Duce, & auspice Christo

Sub praesidio

Reverendi, & Clarissimi

viri,

Dn. AMBROSII REVDENII,

SS. Theologiae Doctoris, & Professoris,

in Salana incluta

Discutiendas proponit

M. MICHAEL SVMIVS

Chiloniensis Holsatus.

Ad diem 17. Septemb. hora & loco

solito.



I E N A E

Typis Tobiae Steinmanni.

Anno clō 1ō XCVII.



REVERENDIS, CLARISSIMIS,
DOCTISSIMISQUE
viris,

Dn. M. NICOLAO CORNAPÆO
Pastori in Langenhorn dignis.

Dn. MATTHIÆ CLODIO, Chiloniensis
Ecclesie Diacono
fidelissimo

NEC NON

Dn. VALENTINO SVMIO
eiusdem Chiloniensis Reip.
Consuli:

*Dominis fautoribus, & parenti meo
singulariter colendis*

Hasce Theologici studij
primicias

*Dicando consecro, consecrando ad-
dico, addicendo humilime
offero*

M. Michael Sumius
Author thesum.



T H E S I S I.



AD REFELLENDAS, infringendasq; fanaticas, erroneasq; opiniones, & somnia, quibus sub contemplatione perturbati quasi rerum ordinis, quo omnia sursum ferri ac deorsum creaturamq; illam præstantissimam, reliqua animantia, à naturæ prona atq; ventri fida obœdiētia, longissimo post se intervallo relinquentem, genus humanum nimirum, miserrimis haberi modis, imò ex illo meliorem, adeoq; cultui divino partem additiorem, prælo crucis premi durissimè, vident, occæcati fuere homines Epicurei, quasi scilicet divina Mundus non regatur providentia, sed temerè, casuq; omnia ruant incerto: Operæ pretium est, disquisitioni causarum verissimarum, calamitatum invigilantes, easq; non è Philosophorum, sed vatum sacrorum placitis haurientes, doctrinam in Ecclesijs usitatam diligenter ruminandam sumere.

II.

Philosophi enim licet omnes sapientiæ suæ thesauros, & eloquentiæ vim omnem, in deploratione miseriarum humanarum consumpserint: ad veras tamen & primarias causas tantum abest, ut accedant, ut etiam diversorum ratione obiectorum, diversas contrariasq; semper in medium afferant.

III.

Præter Epicureos enim Providentiæ divinæ nihil agnoscentes, Mathematici, certos stellarum positus præ-

A z

raq;

raq; gignere, autumant. Physici, morborum, mortisq;
originem & causas materiae ascribunt. Scelerum causas
Philosophi, morali doctrinae vacantes, voluntati huma-
nae referunt acceptas.

IV.

Si verò quæras, unde corporibus cœlestibus, ma-
teriaq; corporum humanorum, humanisq; voluntati-
bus, tanta enormitas, infirmitas tanta, tanta pravitas ob-
repperit: Philosophiam in demonstratione huius malo-
rum fontis non occupatam, reperies.

V.

Quare, licet (excepto Epicureorum expressa voce
divina condemnatorum, phantasmate) cœteræ Philo-
sophorum ventilationes, utcunq; tolerari possint, cum
de propinquis miseriarum humanarum causis est quæ-
stio: tamen principales & veræ causæ, illis propinquis
prioribus & potiores, in Ecclesia saltem sunt notæ, ibi
sonandæ, inde petendæ.

VI.

Cumq; malorum calamitatumq; fontes non suf-
ficiat monstrasse, sed etiam remedia, firmæ consolatio-
nes, sint proponenda & adhibenda. ne mens ægra duri-
us aliquantisper exercita, sub mole gravaminum suc-
cumbens, æstu tribulationis confirmatur, sed iussulci-
mentis erecta, ad dulces recreationis rivulos, ad quos
cervæ instar defatigatæ Psal 42. v. 1. aspirat, deducatur:
De Consolatione, hic etiam appositè agi posse, remur.

VII.

Proin, & nos quoq; filium nostrarum συζητήσεων se-
cuti, de locis illis utilissimis, maximeq; necessarijs, præ-
sentem διατριβὴν instituemus.

VIII.

Εὐτάκτως autem ut progrediamur, in loco de affli-
ctione. 1. Definitionem, quæ totam συζήτησιν ὡς ἐν συνόψει
comprehendat, proponemus. 2. ἐξήγησιν Definitionis sive
δήλωσιν, quoad fieri poterit, brevissime, συνὸ θεῶν, subiunge-
mus.

Antequam

IX.

Antequam verò rem ipsam discutiendam aggrediamur, præmittendas censemus appellationes nonnullas, quibus in sacris Ecclesiæ calamitates denotantur, & hæ quidem, quæ ordine subjicientur, primariæ inveniuntur.

X.

Vocantur a. Mala & tribulationes. 1. Sam. 10. v. 19. Psal. 9. v. 9. Afflictio & tribulatio Spiritus. Eccles. 1. v. 18. Job. 7. v. 12. Dies tribulationis & afflictionis Psal. 18. v. 19. & 20. v. 2. Ignis Esa. 43. v. 2. Psal. 17. v. 3. Via dura Psal. 17. v. 4. Aquæ Psal. 18. v. 17. & 124. v. 4. 5. & 144. v. 7. Prov. 17. v. 14. Esa. 43. v. 2. Apocalyp. 12. v. 15. Torrens Psal. 110. v. 7. & 124. v. 4. Laqueus & fovea Psal. 35. v. 7. 8. Dura & vinum compunctionis, Psal. 60. v. 5. Calix Psal. 75. v. 7. & 11. v. 6. Matth. 26. v. 39. Fluctus Dei Psal. 88. v. 8. Virga Psal. 89. v. 33. Esa. 10. v. 5. 24. Funes mortis, anxietas Inferni, tribulatio & dolor. Psal. 116. v. 3. 4. Sol & Luna Psal. 121. v. 6. Turbo & æstus Esa. 25. v. 4. 5.

XI.

Crucis verò definitio forsan non incommodè proponetur hoc pacto: Crux Ecclesiæ est omnis generis afflictio, quæ populo Dei, sive propter pietatem, sive propter quædam peccata, à Diabolo & impio Mundo infertur, Deo permittente & disponente ad bonos fines: nimirum ut singuli de pœnitentia moneantur, & piorum fides probetur, & innotescat, & veritas confirmetur & propagetur ad laudem & gloriam Dei.

XII.

ὄρειτος sic fuit: eiusdem δὴλώσις sequitur.

XIII.

In δὴλώσει ista consideranda veniunt, Causæ, effectus, Opposita, Contraria.

XIV.

Causa efficiens complectitur 1. causam principalem sine qua non, 2. efficientem ipsam. 3. Instrumentalem, 4. Impulsivam seu προκαταρτικὴν.

A 3

Causa

XV.

Causa principalis sine qua non, est Deus ipse, permittens Diabolo & organis eius (quibus tamen metas ponit, quas transilire nequeunt, quemadmodum historia Iob docet) ut adversus Christum insurgant. Psal. 2. v. 3. ut cœtum Electorum extremè exerceant, illis verò crucem ad bonum fidem dirigens & disponens. Quo nolente & non permittente, cum ne capitis quidem intereant capilli. Matth. 10. v. 30 Luc. 21. v. 18. multo minus tristes illos casus & cruciatus, illius absq; permissu & voluntate, nos tangere, persuasum habeamus.

XVI.

Testantur id ipsum, expressa & aperta Scripturæ de permissione dicta. Exod. 12. v. 23. Ioh. 16. v. 12. Tob. 2. v. 12. 2. Reg. 16. v. 10. Psal. 16. v. 3. Psal. 39. v. 10, & 44. v. 29. Esa. 45. v. 7. 1. Reg. 22. v. 20.

XVII.

Testantur & historiae, ut Iob & Tobia, testantur deniq; sententiæ permissivè accipiendæ. Exod. 5. v. 22. Ruth. 1. v. 20. 1. Reg. 2. v. 7. Ps. 66. v. 10, & 69. v. 27. & 88. v. 9. & 118. v. 18. Proverb. 22. v. 2. Osee 5. v. 14. 1. Petr. 3. v. 19. 1. Petri 3. v. 17. 1. Pet. 4. v. 17. 1. Corinth. 11. v. 32. Philipp. 1. v. 29.

XVIII.

Permittit autem Deus Ecclesiam suam affligi, & propter reliquias peccatorum in corrupta natura hærentes Rom. 5. v. 12. & 8. v. 10. Exod. 34. v. 7. & propter immundicias actuales quotidie accedentes, Psal. 51. v. 5. 1. Petri 4. v. 7. Psal. 89. v. 33. Mich. 7. v. 9. & hanc usitatè *τιμωρίαν* vocitant.

XIX.

Diabolus verò causa est efficiens, qui propter *ἀποχόρον* odium adversus Christum & Ecclesiam, cui invidet felicitatem illam, de qua ipse excidit, machinatur illi internas & externas afflictiones in perpetuum eius exitium Gen. 3. v. 15. & 4. v. 8. Iob. 1. v. 2. Ioh. 13. v. 27. 1. Petri 5. v. 8. 1. Ioh. 3. v. 8. Apocalip. 12. v. 9, 10. Rom. 16. v. 20. 2. Corinth. 11. v. 14. 2. Corinth. 12. v. 7. Eph. 6. v. 11. 16. 1. Thess. 2. v. 18.

Organa

XX.

Organa verò & instrumenta, quorum opera & labore Diabolus in affligenda Ecclesia utitur, sunt omnes omnium ordinum homines. Ecclesiastici sc. Politici, Oeconomici, & Privati.

XXI.

De primo ordine, dicta & exempla monent, in quibus sacerdotes gentiles, idolorum Prophetæ, Pseudophetæ, & falsi fratres in populo iudaico, indicantur causam præbuisse afflictioni piorum. Psal. 64. v. 3. & 86. v. 14. 94. v. 20. Thren. 4. v. 13. Matth. 10. v. 27. 12. v. 14. 14. v. 10. & 21. v. 45.

XXII.

Nec de secundo, sententiæ & exempla deficiunt, quæ mentionem tyrannorum & magistratum faciunt. Gen. 14. v. 11. Exod. 5. v. 13. 1. Reg. 18. v. 19. Saul persequitur innocentem Davidem, Esther 3. v. 12. 3. Reg. 21. v. 27. Psal. 2. v. 3. 37. v. 14. 69. v. 13. 119. v. 23. Hieremiam rex Sedechias & principes eius in lacum abijciunt cap. 38. v. 6. & Nabuchdonosor tres viros, in igneam fornacem detrudit, Daniel 3. v. 21. & Satrapæ Danielisunt ab insidijs Daniel 6. v. 4.

XXIII.

De tertio itidem testantur dicta & exempla, quæ de parentibus, fratribus, cognatis, amicis, collegis & vicinis loquuntur. Psal. 27. v. 10. & 41. v. 10. & 55. v. 13. 14. 15. & 79. v. 4. Tob. 2. v. 15.

XXIV.

De vulgi furore & petulantia in pios, itidem, ut quarto ordine leguntur dicta & exempla. Gen. 19. v. 4. 26. v. 15. Pl. 2. v. 1. 3. v. 7. 6. v. 8. 11. v. 2. 56. v. 3. 118. v. 10.

XXV.

Tota deniq; vita Christi, per omnes ordines perpetuæ crucis speciem nobis spectandam & imitandam reliquit.

XXVI.

Neq; tamen hi Ecclesiam persequuntur, quod quicquam illis sit ortum ab hac iniuriæ, vel quod falsæ doctrinæ

doctrinæ & errorum 3. Reg. 18. v. 4 3. Reg. 22. v. 27. Act. 7. v. 52. 1. Theff. 2. v. 5. vel blasphemix Matth. 26. v. 65. Hierem. 26. v. 9. vel seditionis 1. Reg. 12. v. 13. 3. Reg. 18. v. 17. Amos. 7. v. 10. Luc. 23. v. 2. (sicut hæc omnibus pijs, Apostolis, & Christometipſi intentata fuere) crimen penes illam resideat, cuius Apostolus 1. Petri 4. v. 15. illam vult inanem, sed has sub prætextu solummodo causas crepant impij, ut eo tutius, & maiori hominum cum applausu è medio tollant Ecclesiæ membra.

XXVII.

Verùm persequuntur Ecclesiam propter Deum ipsum & nomen illius. Psal. 16. v. 2. 44. v. 22. 69. v. 8. Hier. 15. v. 15. Matth. 5. v. 11 10. v. 18. Exod. 5. v. 23. Matth. 24. v. 9 19. v. 29. Ioh. 15. v. 19. Act. 9. v. 16. 5. v. 41. 1. Petr. 4. v. 14. Act. 21. v. 13. & propter iustitiam, 1. Petr. 3. v. 14. Matth. 5. v. 10.

XXVIII.

Quia verò hæ calamitates non sine voluntate Dei immittuntur, ideo eum magis quàm Diabolum & instrumenta eius spectemus afflicti, non canes imitantes, qui lapidibus petiti, homine omisso, & neglecto à quo læsi sunt, lapidem sectantur.

XXIX.

Id quod ipsum Iob à Satana & hostibus suis afflictus nos monet. Dicit enim Dominum dedisse, sed non addit Diabolum abstulisse, Chaldaeos abegisse, quod tamen verum erat, mediate scilicet; sed ut Dominum dedisse asseruit, sic eundem abstulisse subijcit.

XXX.

Hæcenus de causis prioribus, efficientibus nimirum diximus: Restat ut de posterioribus, Forma nimirum & Fine, itidem *συλλογως* agatur.

XXXI.

Forma in tentatione & Martyrio consistit.

XXXII.

Tentatio divina est crux piorum, per quam Deus eorum fidem, in promissiones divinas, præsentem vel imminenti

minenti malo explorat, eamq; omnibus contemplan-
dam lectandamq; proponit, vocaturq; usitate δοκιμασία.

XXXIII.

Eaq; vel interna est vel externa.

XXXIV.

Interna, sunt Dolores mortis, & anxietas inferni.

Psal. 44. v. 26. 69. v. 3. 116. v. 3. 141. v. 7. Dolor ani-
mi Iob. 30. v. 16. Psal. 34. v. 5. 61. v. 3. 102. v. 5. 142.
v. 4. Cæcitas, errores, & hæreses Deut. 28. v. 28. Esa. 8. v.
17. Amos 8. v. 11.

XXXV.

Externa, sunt Egestas, Annonæ caritas, & Fames,

Gen. 12. v. 10. 42. v. 1. 43. v. 1. Exod 16 v. 3. Deut. 28.
v. 20. 21. 22. 53. Ruth 1. v. 1. 2. Samuel 21. v. 1. 1. Reg 8.
v. 37. 2. Reg. 4. v. 38. 2. Paralip. 6. v. 28. Eldr. 5. v. 1. Psal. 36.
v. 19. Esa. 5. v. 13. Jerem. 14. v. 1. Ezechiel 5. v. 12. Amos. 4.
v. 6. Matth. 24. v. 7. Luc. 4. v. 25. Act. 7. v. 11. Rom. 8. v. 35.
2. Corinth. 8. v. 14. Apocalip. 6. v. 8. Corruptio aeris &
morbi, Deut. 28. v. 21. Iob. 17. v. 7. 19. v. 20. Psal. 6. v. 3.
Matth 9. v. 2. Marc. 2. v. 5. Luc. 5. v. 20. Ioan. 5. v. 14. 1.
Corinth. 11. v. 30. Amissio facultatum & liberorum, ut
in exemplo Iob videre est, sive fiat incendio, sive alluvi-
one, sive morte.

XXXVI.

Martyrium est crux piorum, quam propter veri-
tatem Christi á mundo patiuntur.

XXXVII.

Estq; cruentum vel incruentum.

XXXVIII.

Martyrium cruentum, est sanguinis & vitæ pro-
fusio, ad veritatem Dei, tanquam externo & indubitato
testimonio finaliter confirmandam. Ioh. 21. v. 18.

XXXIX.

Martyrium incruentum est calumniarum, igno-
miniarum, carceris, exilij, aliorumq; periculorum perpelsio,
veritatis causa, 2. Corinth. 4. v. 8. 6. v. 48. 12. v. 10. 1. Petri
4. v. 14.

B

λύτρον

XL.

ἀπειθήν, quod nonnulli hac referunt, solius Christi est obedientia.

XLI.

Tantum de Forma; Restat Finis.

XLII.

Finis vel impios concernit vel pios.

XLIII.

Illos, quatenus ex inspectione crucis Ecclesie in peccatis ita obdurescunt, ut perdantur, hos, quatenus castigantur, ut salventur.

XLIV.

Quoscunq; enim Dominus cooptavit, ac suorum consortio dignatus, ij se ad duram, laboriosam, inquietam, plurimisq; ac varijs malorum generibus refertam vitam præparare debent.

XLV.

Sic enim est cœlestis patris voluntas, ut certum de suis experimentum capiat, eos talem in modum exercere: A primogenito suo exorsus, erga filios omnes suos hunc morem prosequitur.

XLVI.

1. Non ut eos perdat vel perimat, sed potius ut ad maiorem pœnitentiam eos revocet, eamq; exuscitet in eis, ut peccata & ira Dei adversus illa agnoscantur, & crescant in eis Fides, Timor Dei, Invocatio, & tota novitas. Sicut David canit Psal. 119. v. 71. Esa. 26. v. 16. Rom. 5. v. 3. 1. Corinth. 11. v. 32.

XLVII.

2. Vt sanctorum afflictiones, & mors, secuturi iudicij & vitæ æternæ sint argumentum. Cum enim Deus antea testatus sit, placere sibi Paulum, in miserijs tantis, & media in morte, non negligeret, nisi aliud expectandum esset iudicium, in quo ostendet Neronem ad Orcum detrudi. Ideo Paulus Rom. 8. v. 18. inquit: Existimo, quod non sint dignæ pæssiones huius temporis, ad futuram gloriam Dei, quæ revelabitur in nobis. 1. Petri 4. v. 17.

Cumq;

XLVIII.

Cumq; omnia bona & mala huius vitæ brevia sint & evanida, Deus non vult iustos fugacibus ornare bonis, nec iniustos ad momentanea rapere supplicia, sed vult iustitiam & misericordiam suam in rebus æternis testatam facere & manifestam. Ideo præcipua præmia, & pœnas præcipuas in vitam illam differt æternam.

XLIX.

3. Vt miseria & mors sanctorum sit testimonium doctrinæ, quod Evangelij dogmata rata, firma, ac vera statuunt, nec proprii gratia emolumenti fictitiam circumferant doctrinam, cum quasvis miseras subire mortem quoq; ipsam sustinere malunt, quàm Evangelij professionem abijcere. Plal. 44. v. 23. Matth. 16. v. 24.

L.

4. Vt efficiamur conformes imagini Filij Dei. Matth. 10. v. 24. Non est discipulus supra magistrum, nec servus supra dominum. Rom 8 v. 30. Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui. Rom. 8. v. 28. 1. Petr. 4. v. 13.

LI.

5. Vt per crucem assiduam de nostra imbecillitate convicti humiliemur, & sic humiliati, discamus implorare virtutem Dei, & ita in cruce benevolam Dei præsentiam experiamur.

LII.

6. Vt liberationes in calamitatibus, quæ non sunt extricabiles humano consilio, sint testimonia præsentia Dei in Ecclesia, & manifeste appareat, Ecclesiam non humanis consilijs & præsidijs, sed ab ipso filio Dei, eius capite & duce, divina potentia colligi, defendi, servari, ut precatur Moses Num. 14. v. 14. 1. Reg. 17. v. 46. Esa. 37. v. 20.

LIII.

7. Vult etiam Deus potentiam filij sui ita fieri conspectiorem, cum vincit per infirmos diabolum. In

B 2

hoc enim

hoc enim certaminē nos partibus ducis non fungimur, milites saltem sumus. Diabolus odio Dei ardens, belligerat cum Filio Dei, hunc vincit in Ecclesia infirma. Sicut restituit Adamum, conservavit Ecclesiam savientibus in eam omnium temporum tyrannis. Statuamus ergo nos ad hoc certamen esse vocatos, ut in nostra infirmitate, luceat confessio & gloria Dei.

LIV.

8. Ut etiam in cruce discatur vera praxis Theologiae. Psal. 119, v. 71. Esa. 28, v. 19, Hierem. 31, v. 18.

LV.

9. Alium quoque finem habet dominus affligendi suos, ut sc. eorum patientiam exploret, Tob. 2, v. 12. & ad obœdientiam eos erudiat.

LVI.

Non equidem, quod possint illi quicquam præstare, nisi quam ille ipse dederit: Sed ira placet ei præclaris documentis testatas facere ac illustres, quas in sanctos contulit gratias, ne intus otiosæ lateant.

LVII.

Ergo tolerandi virtutem & constantiam, qua servos suos instruxit, in apertum proferendo, dicitur eorum patientiam explorare.

LVIII.

10. Ad obœdiendum quoque erudiri cruce dicimus, quia sic non ad proprium votum, sed Dei arbitrium vivere docemur. Si enim omnia nobis ex sententia fluerent, nesciremus utique quid esset Deum sequi. Atque illud Seneca (de vita beata cap. 15.) commemorat fuisse vetus proverb. cum ad res adversas tolerandas quempiam hortarentur. *Deum sequere.* quo sc. innuebant, tum demum iugum Dei subire hominem, cum eius ferulæ manum ac tergum præberet.

LIX

Calamitatum, crucisque effecta sunt illatio tristitiæ Iob 30 v. 31. Psal. 42, v. 12. Syrac. 11, v. 29. Proverb. 15, v. 15. *Deformitatis.* Psal. 39, v. 12. *Contemptus.* Psal.

22, v. 8.

22. v. 8. 69. v. 12. 13. Prudentia Proverb. 12. v. 1. *Excussio*
lachrymarum. 1. Reg. 30. v. 3. 4. 2. Reg. 15. v. 23. 30. Psal. 42.
v. 4. 69. v. 11. 80. v. 6. Seiunctio & probatio amicorum &
vicinorum. Psal. 38. v. 12. 69. v. 19. 71. v. 7. & Proverb. 17.
v. 17. 19. v. 4. Operatio contritionis & conversionis Iud.
2. v. 5. 3. v. 9. 15. 6. v. 7. 10. v. 10. 15. 16. 2. Paralip. 33. v. 12.
13. Psal. 32. v. 9. 78. v. 34. Esa. 26. v. 16. Osee 6. v. 1. *Nostri*
deniq; cum Christo consummatio. Iac. 1. v. 3. 4. Rom. 5. v. 3. 4. 5.

LX.

Opposita crucis sunt res secundæ, quibus homi-
nes ebrij plarumq; abutuntur ad ignominiam Dei &
proximi perniciem Proverb. 18. v. 12. 28. 29. v. 16.

LXI.

Contraria sunt. In cruce deficere à professione
verbi divini Marc. 4. v. 17. 2. Paralip. 10. v. 15. 11. v. 14.
exempla defectionis Gen. 14. v. 4. 2. Samuel. 15. v. 10.
2. Paralip. 21. v. 8. 2. Reg. 17. v. 4. 18. v. 7. 24. v. 1. 20. Ierem.
37. v. 2. 52. v. 3. Ioh. 6. v. 6. 1. Timoth. 1. v. 20. Apocalip. 2.
v. 5, 6. Impatenter ferre Exod. 14. v. 11. 15. v. 24. Iob. 3.
v. 1. Ios. 9. v. 18. Matth. 20. v. 11. 21. v. 15. 1. Corinth. 10. v.
10. Existimare casu accidere, ut homines affli-
gantur. Ecclesiast. 3. v. 14. Spontaneam sibi crucem im-
ponere 1. Reg. 18. v. 28. Matth. 9. v. 15. Deo præscribere
tempus Iudith. 8. v. 13. Seipsum interficere. 3. Reg. 16. v.
18. Pati non ut Christianum, sed maleficum, 1. Petr. 2. v.
20. 3. v. 17. 4. v. 15.

LXII.

Hactenus de afflictione tractavimus, nunc con-
solationis locos subiungemus.

LXIII.

Consolatio est beneficium Dei, quo nos corro-
borat ad tolerantiam rerum adversarum, cum ineffabili
latitia cordis coniunctum. Psal. 94. v. 29. 119. v. 76. 77. 2.
Corinth. 1. v. 3. 1. Corinth. 10. v. 13.

LXIV.

Cum verò consolationum loci multiplices sint,
in præsentia præcipuas saltem enumerandas sumemus.

B 3

1. Est

LXV.

1. Est necessitas, seu mandatum Dei, quod præcipit, ut flectamus animos ad obœdientiam in tolerandis adversis, nec irascamur Deo punienti nos, sed pœnam esse iustam agnoscamus, nosq; voluntati eius subijciamus. 1. Petri 5. v. 6.

LXVI.

2. Dignitas virtutis & pietatis, quæ non est abijcienda propter ærumnas Matth. 10. v. 37.

LXVII.

3. Bona conscientia, sciens calamitates non propria culpa esse attractas. Petr. 4 v. 15. Sic Laurentio levis fit cruciatus propter bonam conscientiam. 2. Corinth. 1. v. 12.

LXVIII.

4. Remissio peccatorum, vulneratam sanans conscientiam. 1 Ioh. 2. v. 2. Si quis peccaverit advocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

LXIX.

5. Agnitio præsentia Dei & auxilij divini in ærumnis Psal. 91. v. 15. Esa. 43 v. 1. Esa. 57. v. 15.

LXX.

6. Spes ultimæ liberationis & æternæ salutis Iob. 19. v. 25.

LXXI.

7. Exempla filij Dei. Hebr. 12. v. 2. & præcipuorum in Ecclesia luminum, quæ cruci semper tuerunt subiecta Iacob, 5. v. 11. Matth. 5. v. 12.

LXXII.

8. Celebratio Dei, & utilitas Ecclesiæ Psal. 116. v. 5 Ioh. 2. v. 19. Philip. 2. v. 17 Act. 5. v. 41.

LXXIII.

9. Collatio eventuum, cum coram Deo agnoscamus, nos, ne incidamus in maiora pericula iuste puniri, & meritos esse pœnas atrociores: leniri tamen propter Mediatorem, & ne tota Ecclesia funditus deleatur. Osee 11. v. 9. 1 Corinth. 10. v. 13.

Quia

LXXIV.

10. Quia qui crucem pietatis, veritatis, & iustitiæ nomine patiuntur, sunt beati Matth. 5. v. 10. 11. Luc. 6. v. 22. Iac. 1. v. 12. 1. Petri. 3. v. 14. 4. v. 14.

LXXV.

11. Quia calamitates pios non reddunt miseros, nec perpetuò iræ Dei testimonia sunt Iob 5. v. 17. 18. Proverb. 3. v. 11. 12. Ierem. 25. v. 27. Matth. 5. v. 4. 10. 11. Rom. 5. v. 3. 8. v. 36. 1. Corinth. 4. v. 11. 2. Corinth. 4. v. 8. 2. Timoth. 2. v. 11. Hebr. 12. v. 6. Iac. 1. v. 12. 5. v. 11. 1. Petri. 2. v. 19. 20. 3. v. 14. 4. v. 14. 1. Ioh. 3. v. 13. Apocalip. 3. v. 10.

LXXVI.

12. Quia ipsis pijs argumentum sunt magnæ consolationis Iacob 1. v. 2. & honorificæ sunt Ioh. 21. v. 19. Act. 5. v. 41. Galat. 6. v. 17. Ephes. 3. v. 13. Philip. 1. v. 20. 1. Petri 4. v. 14. 16. Apocalip. 14. v. 13.

LXXVII.

13. Quia Christi & fidelium afflictiones sunt communes Matth. 25. v. 42. 45. Ioh. 15. v. 18. 20. Act. 9. v. 4. 22. v. 7. 9. v. 5. 22. v. 8. Rom. 8. v. 28. 29. 2. Corinth. 1. v. 5. 4. v. 10. 13. v. 14. Philipp. 3. v. 8. Coloss. 1. v. 24. 1. Petri 1. v. 11. 4. v. 13. 5. v. 9.

LXXVIII.

14. Quia piorum afflictiones momentaneæ sunt, & modum illis Deus imponit Gen. 15. v. 13. 14. Exod. 3. v. 7. 8. Deut. 26. v. 6. 7. 8. 1. Samuel 1. v. 18. 2. Samuel 7. v. 9. 1. Paralip. 21. v. 15. 2. Reg. 13. v. 22. Iob 2. v. 6. Psal. 4. v. 1. 7. v. 2. Esa. 7. v. 7. Ierem. 5. v. 18. Oseæ 5. v. 15. Mich. 7. v. 9. Nahum 1. v. 6. 7. Zach. 8. v. 12. Matth. 10. v. 30. Luc. 21. v. 18. Ioh. 16. v. 20. Act. 4. v. 29. 30.

LXXIX.

15. Deniq; desiderium clari conspectus Dei, & liberationis à toto peccato, præstantissimum adversus quasvis ærumnas est remedium Philipp. 1. v. 23.

LXXX.

Atq; hæc quidem in præsentia sufficiant. DEO
interim

interim Trino & Vni, gratias agimus maximas, quod &
nos ferulae suae castigationis submissos, insigni militiae
suae nota insignire voluerit. Eumq; devotè rogamus,
ut quemadmodum ex tribulationum conflictu nos
emergere concessit haecenus: ita deinceps quoq; in o-
mni vita gratioso praesidio septos, ad coelestis
randem vitae beatitatem
conservet.

Ze 5200

A M E N.

τῷ θεῷ δώσαν

Problemata.

I.

An liceat fugere crucem, nec ne?
Affirmatur.

2.

*Num calamitates piorum, mere-
antur nomen poena? Negatur.*

F I N I S.



d &
ria
us,
os
o-

?

6-

ULB Halle
004 976 126


3




Sb.







an Ze 5200. Q.K. [II: 1377]

P O S I T I O N E S
 D I S P U T A T I O N I S X X .
 De
C R V C E E T
C A L A M I T A T I B V S
 E C C L E S I A E E T
 C O N S O L A T I O N E
Quas
 Christo Duce, & auspice Christo
Sub prasidio
 Reverendi, & Clarissimi
 viri,
 Dn. AMBROSII REVDENII,
 SS. Theologiae Doctoris, & Professoris,
 in Salana incluta
Discutiendas proponit
 M. MICHAEL SVMIVS
 Chiloniensis Holsatus.
Ad diem 17. Septemb. hora & loco
solito.

 I E N A E
 Typis Tobiae Steinmanni.
 Anno c^o l^o XCVII.

